





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-71308-p0002-5

DFG

QK. 293.

v. Einsiedel

3

Z6
324

GIEBICHENSTEINIUM

antiquissima ArchiEpiscoporum

Magdeburgensium Sedes

D E

PRÆSIDE

Reverendissimi & Illustrissimi Principis ac
Domini, Domini

A U G U S T I.

Ducis Saxoniae, Juliæ, Cliviæ &c. Primatis
Germaniae & Archi-Episcopi Magde-
burgensis, &c.

Generosa mentis & antiquissima
Gentis Magnificensimo, Strenuo
& Excellentissimo

Dn. CONRADO von Einsiedel/

Hæreditario in Scharffenstein/

Consiliario intimo & Ephoro

Eminentissimo

Sibi gratulatur

per

JOACHIMUM - REINHOLDUM

Bauesium H. S.



Halle Saxonum Typis PETRI FABRI, anno 1640.

239.

Hala.

Hos spirat Praefectus ut EINSIEDELIUS anci
Giebichenstein Baussia Musafonos:
Hic ut eremus erat nuper sub praefide nullo:
Nunc sub eremita nulla, quod optat, erit.

Gueinzius.

23232323232323232323232323232323
23232323232323232323232323232323
23232323232323232323232323232323

Hec quis insinuat se Spiritus ossibus? unde
 Mota repento corda calore tremunt?
Cynthius ipse novos variat quid pectine cantur,
 Pulsat & aurata fila canora lyra?
 Quid sacra turba choros tantâ vertigine torquet,
 Plaudit & alterno luxuriosa gradu?
Bellerophon tæ fons, quem pedis ungula rupit
 Plenior est, Clarias & jaculatur aquas:
En! neque spissato glomerantur in æthere nubes;
 En neque turbineis detonat imber aquis.
Non ferus excussis Boreas bacchatur habenis,
 Stridulus haut madido sibilat ore Notus.
Exerit Oceano roseum Tithonia vultum.
 Lætior, ignipedes æquore promit equos.
Quid tantum properas Eos? quæ mente volutas
 Gaudia, non ullo contemerata metu?
Quid sic Parthenopes plausum diffunditis urbes?
 Quidque fremis faustis gens numerosa sonis?
Quid sic ARX celso GIEBICHENSTEINIA saxo
 Edita, Phœbigenis ARX habitanda viris?
Quid sic depulso frontem mærore serenas,
 Condis & in patulo gaudia tanta sinu?
Fallor? an agnoso causam; dimensa superbit
 Scilicet adventum, VER MEMORANDE, tuum:
 Jam benefida tuo supponet brachia collo,
 Jam petet amplexus obvia facta tuos.
 Quæque diu jacuit prisco spoliata nitore,
 Hostibus in numero præda petita die.

A 2

Quæ-

Quæque vel est flammâ vel Marte, vel arte, vel astu
Sæpe per alternas depopulata vices.
Illa modo faustos spargit de pectore plausus,
Lætitiae promit signa secunda suæ.
Tristitiam Stygiæ vada sub furialia Lethes
Dira procellosi turbinis ira tulit.
Ut fudit quondam concordibus ebria votis
Jubila, septenis Roma superba jugis;
Julius à magno derivans nomen Julio,
Sumpsit ut imperii sceptra regenda novi:
Sic ea nunc gaudet, totis ovat atque medullis
Præside te, curis restituenda tuis.
Et cur non posito capiat nova gaudia luctu
Totaque lætitia ceu rapiente fluat?
Acceptura Virum Virtute satellite cinctum,
Qui mala consiliis pellit acerba suis!

Nobilitatis iter Vir qui terit impete pleno
Splendidus, Heroæ stirpis honorus apex.
Nec solum contentus eo, sed lumine mentis
Qui magis illustrat seque suumque genus.
Scilicet & sago prædixit talia Phœbus
Ore, sed eventu non caruere suo.
Dia salutâras lucis vix limina, Juno
Vix tulerat vitæ munera grata tuæ;
Blandiloquæ noras nec adhuc dare blæsula vocis
Signa, nec in blandos texere verba jocos.
Cum Deus Aonii sacro sancta palatia montis
Qui colit & Clarii dia fluenta vadi:
Ipse ciens digitos tremulâ cum voce loquentes
Jucundo fudit talia verba sono:
Nascere parve puer, nostris decus addite Musis
Nobile, Castalii fama futura chori!

Es.

Es meus & meus es, numerosâ dote beabo
 Illa satis noti pectoris ausa tui.
 Strangulet huic tumidam ventosa superbia mentem,
 Areath hic rutilis, Tantalus alter, aquis:
 Alter in optatis sectetur mollia rebus
 Otia, sed faustâ non redditura vice.
 Hic Veneri sua seque litet, litet ille Lyxo,
 Et voret Attalicos dente nepote lares.
 Ille vel altiloquæ torto vibramine lingvæ
 Antiquo claros stemmate jactet avos.
 Quærat avarus opes & fulvæ pondera glebæ;
 Se sinat hic oculis, auribus ille capi.
 Tu gratas deges studiis melioribus horas
 Cultaque Pegaseis ora rigabis aquis.
 Ad magnum virtutis opus componere mentem
 Cura, nec in vitium fertile pectus, erit.
 Corda Gigantæ nechabebis turgida fastu
 Sorde cupidinei nec maculata luti.
 Nam neque convenient, nec corde morantur in uno
 Pallas, & elato cum grege mœcha Venus.
 Non ea Thebanis micuit discordia flammis,
 Non ea Tantaleis fratribus ira fuit.
 Ut perit in mediâ lactis lollagine gutta
 Ut crystallinas sepia migrat aquas:
 Sic gerit æternum virtus vitiumque duellum,
 Sic quoque dira gerunt bella Minerva, *Venus*
 Sed Clarium scandes sancto conamine monte
 Tædia difficilis nulla laboris erunt.
 Per spinas, tribulosque, per invia saxa, per ignes,
 Sithoniasque nives Caucaeumque gelu
 Per medias acies, per vulnera mille, necesse
 Herculea virtus tendit ad astra viâ.

Absque

Absque labore nihil: vénit et mpta labore voluptas;
Quæ venit è duris palma, decora venit.
Nec mora, cum duro superaris tramite collem,
Et fueris bifidi victor in arce jugi.
Jure tuo capies meritissima præmia laudum,
Præmia vix ullis interitura rogis.
Talia verba dedit, dio dignissima Phœbo
Verba, nec effectu devia verba suo.
Non ita veraces præsagia voce loquelas,
Sparsit ab Euboicâ Delphica virgo specu.
Non ita Dodone referavit ab ore Sacerdos,
Verba futurisciæ constabilita fide.
Hincut adhuc ætas stadio tibi pubere fulsit,
Texit & intonsas nulla lanugo genas.
Totus anhelasti virtutis ad inclyta veræ
Culmina, suspenso non adeunda gradu.
Doctrinâ tenero transcendere nisus es annos,
Et studiis ipsos anticipare viros.
Sic ubi vix aquilæ prorupit germine proles,
Ovaque maternus fregit hiulca tepor:
Mox tamen astrigerum tremulus petit æthera pennæ
Remige, nubivago vecta per astra gradu:
Donec ad igniferam Jovis hæc delabitur aulam
Ut capiat rostro fulmina dia suo.
Haut aliter quoque tu tranasti sydera monte,
Vexisti sensus & super astra tuos.
Scilicet illa Pharos animi, dux optima vitæ
Multifidas virtus prætulit æqua faces.
Quæ tamen ipsa quidem cum corpore crevit & annis,
Et nunc clarorem clarat honora tuum.
Hæc duce consilians es SCÆVOLA Principis, ille
Te comitem lateris gestit habere sui.

Jam.


Jamque magis claro te magmine stipat honorum
 Sub tua dum tantos jura reponit agros.
Quos A R X fixa gravi G I E B I C H E N S T E I N I A monte
 Continet injecto sub ditione jugo.
A scriptos igitur fasces cape, prende secures,
 Exorna Spartam nobilitate tuam.
Tu que domus, magnis quondam nec inepta Dynastis,
 Sed modo flammoso depopulata foco;
Nunc tibi collapsas rursus reparare ruinas
 Cura sit, & priscum restituisse decus.
Sparge Therapnæo natum de sanguine florem,
 Injectâ lateat splendida mensa rosâ.
Sparge solo calthas, fragrantia lilia sparge,
 Lilia Riphæâ candidiora nive!
Sparge solo violas nardique rubentis aristas,
 Punicumque tegant florida ferta solum.
Pande vias, reclude vias, obstacula tolle,
 Quo Tu us in molli tramite P R A E S E S eat.
Vos quoque, quos patriis ejecit sedibus horror
 Martius, ac alias jussit adire domos:
Sive peregrinas versatis vomere terras,
 Seu fovet in fido Saxona terra sinu;
Seu tenet ora propinqua, redite, redite coloni
 Visite jam patrios, dulcia tecta, lares!
Prendite spissatam rubidâ ferrugine stivam
 Desertumque scabro findite dente solum.
Adjuga cornipedes revocate laboribus actos
 Fœcundos vertat vomer aduncus agros.
Non miles rabidos agitans sub pectore raptus
 Irruet in vestras, hoc prohibente, domos.
Non abiget teneram populatrix turba juvencam,
 Cum petet agrestes in satiata dapes.

Hæc

26 224 OK

Hæc ubi sed secuit spumoso gramina mortuæ,
Securo repetet septa priora gradu.
Non rumpent dubios rauco fera cornua somnōs
Murmure, non celeri tympana tunsa manus.
Dum loquor, aspicio socio glomeramine cœtum,
Qui petiit refugo tecta paterna gradu.
Maximalatificam pertentant gaudia mentem,
Gestit, & adventus languet amore tui.
Totque petit votis te, quot vel in æthere fulgent
Flammifero vigiles, non sine lege, faces.
Ingrediare tuos igitur Nove Præses honores,
Præses & imperii frena capesse tui!
Præses & ascriptos fasces cape! prende secures!
Præses & adventu langvida cuncta bea!

F I N I S.



M

WAP

Pon 263241 QK

ULB Halle
004 159 950

3





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-71308-p0012-0

DFG

AK. 293

v. Einsi

GIEBICHENSTE

antiquissima ArchiEpi
Magdeburgensium S

D E

PRÆSID

Reverendissimi & Illustrissi
Domini, Domini

A U G U S

Ducis Saxonie, Julie, Clivia
Germaniae & Archi-Episco
burgenis, &c.

Generosa mentis & an
Gentis Magnificepsissimo,
& Excellentissimo

Dn. CONRADO

Hæreditario in Sfor
Consiliario intimo &
Eminentissimo
Sibi gratulatur

per
JOACHIMUM - REIN
Bauesium H. S

Halle Saxonum Typis PETRI FA

239.

Kodak
LICENSED PRODUCT
Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

4